

ergo dictio divina respicit pro obiecto specificativo Verbum divinum personale; sed intellectio non illud respicit, sed solum essentiam divinam: ergo habent obiecta formaliter diversa tam in creatis, quam in divinis.

Confirmatur *primò*: Intellectio, & dictio in creatis habent subiecta formaliter diversa: ergo distinguuntur ex æquo. Antecedens probatur: Nam dictio recipitur adæquate in intellectu informato cum specie, & non in verbo, cum præsupponatur ad illud: sed intellectio recipitur in intellectu, specie, & verbo realiter producta, cum sit existentia omnium spectantium ad lineam intelligibilem: ergo habent subiecta adæquate diversa.

Confirmatur *secundò*: Ideo in creatis intellectio, & verbum sunt duæ entitates ex æquo diversa, quia sunt separabiles; sed etiam dictio, & intellectio sunt separabiles tam in divinis, quam in creatis: siquidem in creatis, eo modo quo in visione beata datur intellectio, quin datur verbum, datur etiam intellectio sine dictione: in divinis etiam in Filio, & Spiritu sancto datur intellectio, & non dictio: ergo sunt duo actus ex æquo distincti.

50. Confirmatur *tertiò*: Nam in nobis intellectio non includit dictionem, neque dictio intellectionem: ergo sunt actus ex æquo diversi. Antecedens quoad utranque partem probatur auctoritate Div. Thomæ supra relata, ubi dicit, quod in intelligere nulla ratio originis importatur, & quod dicere nihil aliud est quam verbum proficere: ergo neque intellectio includit dictionem, neque dictio intellectionem.

Confirmatur *ultimò*: Dictio in nobis est prior intellectione: ergo est actus ex æquo diversus ab ea. Antecedens probatur: Nam intellectio præsupponit verbum, siquidem in eo contemplatur obiectum; sed verbum supponit dictionem, cum producat per eam: ergo in nobis dictio est prior intellectione. Qui modus, inverso ordine, applicatur in Deo: nam dictio in divinis præsupponit intellectionem: ergo distinguitur ab ea. Antecedens probatur: Tum quia dictio in Deo non producit verbum, ut in eo contemplatur obiectum, sed potius ex eo quod Pater contemplatur obiectum, id est essentiam divinam, producit verbum: ergo dictio supponit in Deo intellectionem. Tum etiam quia intellectus est de linea essentiali; dictio verò ut talis de linea notionali; sed essentialia sunt priora notionalibus: ergo.

51. Ad argumentum imprimis potest responderi, permittendo antecedens, & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia in creatis, ob limitationem, bene possunt distinguui realiter actus unius potentie, secus verò in divinis, ob oppositam rationem. Et sic videmus, quod in creatis intentio & electio, estis sint actus eiusdem potentie, distinguuntur realiter, & in

Deo non distinguuntur adhuc virtualiter, ut alibi diximus.

Sed melius responderetur, negando antecedens. Et ad eius probationem negandum est utranque antecedens: Nam revera in obiecto dictionis non solum includitur, sed exprimitur formaliter obiectum intellectionis: quia in obiecto dictionis nihil aliud importatur nisi res intellecta, ut producta in esse intelligibili; res autem intellecta, ut intellecta, est obiectum proprium intellectionis, neque potest produci nisi per intellectionem, & expressionem intellectionis. Unde obiectum dictionis nequit esse aliud ab obiecto intellectionis, neque potest non attingi intransitive ab intellectione, propter dicta num. 39. Neque modis tendendi in eis sunt diversi (ut sic præoccupatur tacita replica) Nam quamvis modus tendendi dictionis sit producendo, in hoc ipso importatur modus ipsissimus intellectionis propter rationem proximè assignatam, videlicet quia actus intelligi, in quo essentia Verbi consistit, nequit produci nisi per intellectionem.

52. Ad auctoritatem D. Thomæ responderetur, notando prius, in intellectione creata duplex munus distinguendum esse: primum est ipsum munus producendi verbum, & appellatur *dictio*: secundum est contemplari obiectum in ipso verbo à se producto. Quæ munera veterius possunt explicari ad hunc modum, videlicet quod munus *ditionis* prius dicit ordinem ad obiectum prout ad intra intellectum, & productum; & postea exercet munus *contemplationis*, prout in ipso verbo intellectu transit ad contemplandum obiectum ad extra. Inter quæ munera hoc est discrimen, quod intellectio secundum hoc posterius munus nullam dicit rationem originis, sed ipsamet intellectio secundum anterius debet hanc rationem exprimere. Et in hoc sensu loquitur D. Thomas loco citato.

Ad id, quod tangit de dictione divina: Dicendum est: quod neque dictio creata, neque dictio divina specificatur à verbo producto, si per *verbum productum* intelligatur modus superadditus essentia obiecti, sed ab essentia obiecti verbo communicata: Tum, quia actio potius specificatur à principio, quam à termino; & si specificatur à termino, est, in quantum formaliter continetur in principio. Et cum verbum, quod est terminus dictionis, quoad essentiam obiecti, & non quoad modum intelligibilem, contineatur formaliter in specie, quæ est formale principium dictionis, non debet hæc specificari à modo superaddito essentia obiecti, sed ad summum pertinet modus iste ad terminum *qui*. Et hoc præcipue relictur in verbo producto à dictione divina: quia modus superadditus essentia est constitutivus suppositi; & propterea non est terminus formalis & specificativus illius. Dicitur tamen à D. Thom. quod dicere principia-

liter

liter dicitur habitudinem ad verbum conceptum. Quia ad hoc verificandum sufficit, quod sit præcipuus terminus *qui* productus.

53. Ad primam confirmationem potest responderi *primò*, intellectionem adæquate sumptam tam sub munere *contemplationis*, quam sub munere *ditionis* recipi tanquam in subiecto adæquato in intellectu ut actuato per speciem, & verbum. Neque obest, quod verbum præsupponat dictionem: siquidem intellectio ut *dictio* ita præsupponit ad verbum in genere causæ efficientis, quod verbum sit prius dictione, & contemplatione in genere causæ formalis, & materialis, ad quod conducit, quod existant in eodem instanti reali. Neque est novum in Philosophia, quod terminus productus per actionem sit subiectum illius: quia terminus actionis converte panis in corpus Christi est ipsum corpus Christi, quod simul est eius subiectum. Et hoc præcipue debet relucere in actionibus immanentibus, ut est intellectio: quia non ordinatur ad terminum, sed potius terminus ordinatur ad actionem. Et aliunde intellectio est existentia, in ordine intelligibili, de cuius ratione est, quod informet omnia ea, quæ per eam existunt.

54. Secundò responderetur, quod intellectio ut *dictio* recipitur in intellectu cum specie, & non in verbo; & intellectio secundum munus *contemplationis* recipitur in intellectu, specie, & verbo. Sed non propterea arguitur distinctio adæquata inter dictionem, & contemplationem, sed tantum numeralis eiusdem intellectionis. Nam sæpe contingit, quod eademmet entitas secundum unum sui manus petat aliquid ex parte subiecti, quod non petit secundum aliud: v. g. paternitas, ut est forma hypostatica, est in Patre pro priori ad generationem, & secundum conceptum ad præsupponit generationem virtualiter ab ea distinctam, quod similis distinctio inferatur in ipsa paternitate secundum utranque munus. Paternitas gratia habitualis sub munere *auxilantis* non petit ex parte subiecti dispositionem, & sub munere *nature* connaturaliter præsupponit ex parte subiecti actum contritionis, & charitatis per modum dispositionis. Eodem ergo modo possumus dicere de intellectione, ut est dictio, & contemplatio, quod est sub munere *ditionis* non recipiatur in verbo, & sub munere *contemplationis* recipiatur in eo, non propterea debent esse actus ex æquo diversi, dum sub utroque munere recipiatur etiam in intellectu. Hanc solutionem accepimus à N. Salm. in hoc tractat. disp. 2. num. 87. ubi videri possunt alia exempla.

Quibus addi valet, quod ex hac confirmatione non inferitur, quod dictio, & intellectio distinguantur (quod est præcipuum intentum huius dubij) quia, ut ex supra dictis constat, verbum nequit produci nisi per intellectionem: sed tantum potest inferri, quod intellectio, per quam producat verbum, distingua-

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

tur à contemplatione, prout hæc in verbo in esse quieto contemplatur obiectum, quod (quamvis sit falsum, quia sufficit distinctio numerativa, seu distinctio rei cum modo à seipsa sine modo) parum nobis refert.

55. Ad secundam confirmationem responderetur, concessis præmissis, negando consequentiam. Et ratio discriminis est: quia verbum ita est separabile ab intellectione, quod, quando datur, substituitur pro obiecto, & se tenet ex parte illius: aliunde est terminus realiter productus per intellectionem: nec intellectio aliquid quando potest exercere rationem *verbi*, cum non sit similitudo formalis illius: & his de causis sunt separabilia ut due entitates ex æquo distincte. Cæterum dictio, & contemplatio estis sint separabiles inter se ad hunc sensum, quod contemplatio potest aliquando esse sine dictione, ut in exemplo visionis beate liquet, secus verò dictio sine contemplatione; contemplatio tamen neque unquam est terminus dictionis, neque obiectum dictionis excludit obiectum intellectionis, cum obiectum illius sit actus *intelligi* sub expressione *producti*, quod est ipsissimum obiectum intellectionis, quamvis non sub expressione *producti*, si ad eam sub generali ratione, & sub omni expressione ipsius intellectionis referatur. Unde dictio, & intellectio quæ non est dictio, ad summum distinguuntur sicut duæ intellectiones habentes alias diversa obiecta. Vel munus *ditionis* & *contemplationis* distinguuntur ad modum actus modificati, & non modificati, ita ut dictio dicat in intellectionem & modum secunditatis; & munus *contemplationis* non exprimat modum secunditatis: quod non sufficit ad distinctionem duorum actuum: ut liquet in actu scientificifico supra relato, qui dum primò attingit obiectum, & est actualis perceptio obiecti, & est actualis productio scientia; sed si post productam scientiam continetur, ipsamet actus absque distinctione erit perceptio obiecti, & non productio.

His non immeritò addi potest, quod quamvis detur intellectio, non producat verbum, in intellectione tamen quæ producit verbum, nequit munus aliquod reperiri, quod relatè ad ipsum non sit expressio seu productio *verbi*. Erratio est: quia verbum non solum dependet ab intellectione in suo fieri, sed etiam in *conservari*, ita ut dum perseverat actualis productio, perseverat verbum: & dum ea deficit, verbum totaliter perit: sicut verbum externum dependet in suo fieri, esse, & conservari à locutione. Diximus relatè ad *verbum*: quia cum proximè dictis rectè coheret, quod ipsa intellectio productiva *verbi*, prout extenditur per extensionem quandam secundariam ad contemplandum obiectum in seipso, postquam illud contemplata fuit in verbo, non exprimat munus *ditionis*.

C

Eg

Et ita conciliata manent hucusque dicta cum doctrina D. Thomae relata num. 49. Per quae satis constat ad tertiam, & quartam confirmationem.

§. V.

Corollaria praecedentis doctrinae:

56 **E**X dictis inferitur primo, generationem Verbi divini consistere in intelligere primordiali constitutivo essentiae, propter duplicem rationem. *Prima est*: quia Verbum divinum petit produci per intellectiōnem Dei perfectissimam; sed intellectio perfectissima in Deo est primordialis, & propterea per eam constituitur natura divina, ut vidimus tract. 1. disp. 2. dub. 3. ergo generatio Verbi divini consistit in intelligere primordiali. *Secunda est*: quia ex dictis in hoc dubio constat processionem Verbi divini consistere in intelligere aliquo absoluto: ergo intelligere absolutum pro ut in Patre, seu ut connotat paternitatem, redditur fovendum ad producendum Verbum; sed non est ratio, cur hoc conveniat alteri intellectiōni, & non possit competere primordiali: ergo si aliunde intelligere primordiale est perfectius, & universalius, per illud debet Verbum produci.

57 Inferitur secundo, triplex esse discrimen inter dictionem, seu intellectiōnem creatam productivam verbi, & dictionem, seu intellectiōnem divinam productivam Verbi divini. Primum est, quod in intellectiōne creatata, quae est productiva verbi, prius intelligitur ordo ad verbum productum, quam ad obiectum in seipso: quia cum producat verbum ex indigentia, non nisi in verbo, vel ratione illius terminatur ad obiectum. E contra accidit in dictione, seu intellectiōne divina productiva Verbi divini: quia Verbum in ea non est necessarium, ut in illo, & ratione illius cognoscatur obiectum, cum natura divina sit actus purus in omni linea, proindeque est per seipsam species intelligibilis, & verbum; & intellectus divinus etiam sit actus purus, cuius obiectum connaturalissimum est ipsa essentia divina. Et propter hanc rationem ex pura fecunditate procedit verbum ex cognitione ipsius essentiae.

58 Secundum est, quod dictione creatata comparatur ad intellectiōnem ut sic tanquam species ad genus: quia ex una parte essentialiter distinguitur ab intellectiōne non producente verbum, eo quod habet diversum obiectum formale; & ex alia convenit cum ea in ratione intellectiōnis. Dictione autem divina solum comparatur ad divinam intellectiōnem tanquam intellectio modificata ad seipsam non modificatam; vel tanquam res cum suo modo ad seipsam sine modo: quia ipsa intellectio primordialis, quae pro priori ad personas est sine modificatione paternitatis; per hoc quod sit in Patre, & connotet pa-

ternitatem in ipso Patre evadit speciali modo modificata, & producens actualiter Verbum divinum.

59 Tertium est, quod ad fecunditatem dictionis creatatae id, quod intellectiōni superadditur, importatur in recto; sed id, quod intellectiōni divinae superadditur, non requiritur, nec se tenet ex parte recti, sed praecise ex parte connotati, propter dicta num. 46. Ex quo etiam oritur aliud discrimen inter terminum dictionis creatatae, & dictionis divinae, quod quamvis essentia obiecti sit terminus formalis utriusque, & essentia obiecti, ut sit terminus dictionis, debeat importare speciale modum, quem non habet fecundum se; aliter tamen & aliter: nam essentia, quae est terminus formalis dictionis creatatae, importat praedictum modum in recto, sicut de dictione supra dictum est: quia praedicta essentia, ut fiat sub modo intelligibili, & non aliter, potest terminare intellectiōnem, quia est finita & limitata. At essentia divina, ut sit terminus formalis dictionis in Patre, non importat in recto filiationem, quae est modus superadditus & requisitus ad terminandam dictionem, sed tantum de connotato, quia est infinita.

DUBIUM IV.

Utrum processionem Verbi divini conveniat vera ratio generationis viventium: Et an ex eo quod in Deo sunt omnino idem intelligere & intelligi recte deducatur, processionem eius esse generationem, itaut si non essent omnino idem, posset salvari ratio perfectissima generationis viventium?

Hucusque egimus de Processionibus divinis in communi: restat, ut de illis in particulari pertractemus: at quia inter illas processio Verbi divini est prior ordine originis, ideo de illa hic erit sermo. Sed forte notabis, titulum dubij novo & inusitato modo esse propositum. Sed huius rei est ratio, quia intendimus examinare, praecise ex hoc capite naturam divinam constitui metaphysice per intelligere actuale, in quo potissimum fundatur D. Thomas, loco infra referendo, ad suadendam rationem perfectissimae generationis in Deo. Sed pro maiori luce horum, quae in praesenti dicenda sunt, aliqua oportet supponere, ut ad duo praecipua capita in titulo proposita accedamus.



§. I.

Suppositiones nonnullae.

60 **S**upponendum est primo, generatiōnem in communi sic recte definitur: *Mutatio de non esse ad esse*. Ita D. Thomas in praef. art. 2. Definiturque haec definitio ex Arist. lib. 8. Physic. Et ratio est: nam generatiō in communi, prout est communis viventibus, & non viventibus, non aliter competit eis, nisi quatenus materia prima, quae prius est in potentia ad aliquam formam substantialem, seu sub non esse formae, transit ad actu habendam illam; sed hoc nihil aliud est, nisi transitus a non esse ad esse: ergo definitio generatiōnis in communi recte definitur per hoc, quod est mutatio de non esse ad esse. Hoc (ut sic praecipue obiectionem) debet intelligi aptitudinaliter, quia potest per miraculum dari actualis generatiō substantialis, quin detur transitus materiae primae de non esse formae ad esse illius: ut quando, corruptis speciebus sacramentalibus, & producta nova portione materiae per creationem, ut subit illi corruptioni, & generatiōni formae ignis, aut vermis, tunc non supponitur materia, quae realiter maneat sub privatione formae introducendae. Et propterea definitio illa Aristotelica corrigenda est; sicut ob similem rationem corrigitur definitio accidentis ab ipso tradita. Sed hoc est, quia (vtpote delictus a fide) non cognovit mysteria supernaturalia.

61 Supponendum est secundo, generatiōnem propriam viventium optime definitur: *Origo viventis a vivente coniunctio in similitudinem naturae eiusdem speciei*. Ita D. Thomas art. supra relato, & 4. Contra gent. eamque tradit Arist. 7. Metaphysic. cap. 8. & 1. de Gener. cap. 1. Et explicatur: nam imprimis dicitur *origo viventis*, ut significetur terminum generatiōnis debere esse vitalem, & totalem, hoc est, suppositum vivens, seu per se subsistens. Per quod differt a generatiōne non viventium; & a nutritiōne, quae non est productio totius, sed partis. Additur a vivente: quia ad generatiōnem viventis non sufficit, terminum esse vitalem, sed vitalem requiritur, principium esse vitale, & quod operetur actione vitae. Defectu cuius generatiō animalium imperfectorum proveniens a sole non est vitalis, nec productio Eva ex colta Adami.

62 Ponitur insuper illa particula *coniunctio*: quae significatur, genitum debere esse de substantia generantis, cum qua ipsam generans habeat, vel habuerit coniunctionem saltem in initio actionis, ut videre est in femine animalium, ex quo elaboratur fetus. Vel innuitur, quod fetus ipse habeat aliquam colligationem cum suo vitali principio, vel ad tempus, ut vsj

Paul. I. beq. Salm. Tom. II.

dere est in fetu sine matris circumdato; vel semper, ut contingit in generatiōibus intellectualibus, in quibus, semper ac datur fetus, habet actualem coniunctionem cum suo principio, quia verbum nequit existeret nisi actualiter intelligatur obiectum. Per quod excluduntur a ratione generatiōnis vitales productiones inanimantium, quae nullatenus petunt per se esse de generantis substantia, nec minus habere postea coniunctionem cum suo generante.

63 Tandem dicitur *in similitudinem naturae eiusdem speciei*: quia in viventium generatiōne desideratur, quod vivens per illam conaturaliter procedens sit eiusdem naturae specificae cum suo generante. Quibus verbis generatio non inuolva, ut generatio mali ex accessu aini ad equam, & vermiculorum productio ex proprio humore hominis amandatur ab hac definitione. Diximus *eiusdem naturae specificae*: quia hoc ad minus exigitur, non tamen obest, si genitum habuerit eandem numero naturam cum generante: imo ita debet esse, si generatio fuerit perfectissima, nam generans hoc intendit. Si vero materia intercedat, quae est causa distinctionis pure numericae, remanebit solum vitas specifica inter genitum, & generans: sed hoc provent ex limitatione materiae & per accidens. Quomodo autem componatur cum hac doctrina differentia statuta a Philosophis inter generatiōnem, & nutritiōnem, quae tendit ad eandem numero naturam, est materia intercedat, non adeo difficile est, ut immoremur in eo conciliando, quia ex dictis num. 61. satis constat. Ex quibus sufficienter probata manet praefata suppositio.

64 Supponendum est tertio, pro. effensionem Verbi divini non esse generatiōnem, hac sumpta pro generatiōne viventibus & non viventibus communi. Ratio suppositionis est: quia huiusmodi generatio nihil aliud dicit, teste D. Thoma in praef. art. 1. nisi mutationem de non esse ad esse saltem aptitudinaliter, sed in Deo (apud quem, ait D. Iacob. 1. non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio) non est, nec inveniri potest motus: ergo nec processio, quae sit generatio, sumpta generatiōne in praedicta universalitate. Accedit, generatiōnem in abstractione innata esse motum stricte sumptum, cui competit esse actum entis in potentia prout in potentia; sed actibus intellectus, & voluntatis ob suam perfectiōnem repugnat esse huiusmodi, ut docent N. Complut. abbrev. de Anim. disp. 20. num. 3. ergo potiori titulo, ob longè maiorem perfectiōnem, processionem Verbi divini non convenit ratio generatiōnis in illa universalitate sumpta.

65 Sed dices: Processiōnem Verbi divini convenit definitio generatiōnis viventium, ut infra pro definitioe statuemus: ergo etiam convenit ei definitio generatiōnis, prout abstrahit ab ea, quae est communis viventibus & non vi-

ventibus. Consequenter probatur Nam generatio viventium est species respectu generationis sic abstracta: siquidem hæc est bona prædicatio generis, *Generatio viventium est generatio* sed cui convenit ratio aliqua specifica, nequit non convenire ratio generica in ea inclusa, nam omne quod est homo, necessarium est animal: ergo si processio Verbi divini convenit proprie definitioni generationis viventium, etiam convenit ei definitio generationis vrsic.

Ut hæc objectioni & similibus fiat satis Observa, hoc nomen *generatio* posse sumi, sicut hoc nomen *substantia*, aut *sapientia*, quæ sunt nomina analogæ respectu substantiæ Dei, & creaturæ, sapientiæ divini, & creaturæ: unde non significant immediate aliquam rationem vnam, sed plures cum aliqua proportionem: & sic in hac prædicatione, *Substantia divina est substantia*, non ponitur ex parte prædicati conceptus communis Deo & creaturis, sed determinat substantia divina, licet sub quadam confusione. Id ipsum dicimus de sapientia, & generatione, prout applicari possunt creatis, & increatis. Vide N. Complut. abbrev. in sua Logica disp. 11. num. 28. His igitur scitis:

Respondetur in forma distinguendo antecedens, *processio Verbi divini convenit definitioni generationis viventium*, quæ sit determinatè creata, nego antecedens; quæ sit increata, sive prædicans analogicè à creata & increata, conc. antecedens: & nego absolute consequentiam. Ad cuius probationem distinguitur maior: est species generationis vrsic, si intelligatur de generatione viventis creata, conc. maiorem; si de divina, negatur maior: & concessa minori, negatur consequentia. Nec ex hoc inferas, hanc prædicationem, *Generatio divina est generatio*, esse prædicationem identicam: quia, ut sit formalis, non requiritur, quòd ex parte prædicati detur aliquis conceptus vniocæ communis generationi creatae, & increatae; sed sufficit esse æquivocum, vel analogum, seu superiorum ex modo significandi: quod sanè accidit in presenti.

66 Supponendum est ultimum, processio- nem Verbi divini esse aliquo modo generationem. Hanc suppositionem ad minus probant innumera sacri eloquii testimonia, in quibus eius processio dicitur *generatio*, & verbum dicitur *Filius*, & prima persona, à qua procedit, dicitur *Pater*: ut in illo Psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quod testimonium exponit Apost. ab Hebr. 1. de æterna & naturali generatione Verbi divini, non de adoptiva; & propterea ait: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Certum est enim, Angelos esse filios Dei adoptivos: ergo ex prædicto testimonio evidenter colligitur, Christum Dominum esse filium Dei naturalem, cuiusque processionem esse similem

generationem. Et quamvis hæretici objiciant aliquid testimonium; ea tamen non procedunt de Verbo divino, sed de sapientia creata, ut exponunt PP.

His ergo suppositis, explicandum nobis restat modus, quo processio Verbi divini est generatio. Et ut cum maiori perspicuitate fiat, dividimus hoc dubium in quatuor assertiones.

§. II.

Assertio prima.

67 **D**icendum est primum, processio- nis Verbi divini proprie convenit rationem generationis viventium. Hæc conclusio est de fide. Et probatur testimonio supra adducto, quod à D. Paulo literaliter intelligitur de æterna filij generatione. Et quamvis Act. 13. exponatur ab eodem Apost. de resurrectione Christi, nihil refert: quia idemmet textus sacre Scripturæ multoties habet plures sensus litterales & proprios, ut cum D. Augustino, & D. Thoma docent communiter Theologi.

68 Deinde probatur ratione: Nam processio Verbi divini convenit tota definitioni generationis viventium: ergo verè & proprie est generatio. Antecedens probatur applicando illi omnes particulas definitionis: nam imprimis est *origo viventis à vivente*: & propterea Ioann. 5. dicitur: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso*. Rursus: *Pater*, ut vidimus dubb. præcedenti, producit Verbum actione intellectuali, quæ est immanens & vitalis; sed actio immanens & vitalis versatur inter principium vitale, & terminum vitalem: ergo processio Verbi divini est origo viventis à vivente.

Deinde est à principio coniunctio: iuxta illud Ioann. 1. *Vni genitus qui est in sinu Patris*. Et suadetur ratione: nam Verbum, quod est terminus intellectualis operationis, nequit non esse coniunctum intellectui, & habere eandem naturam, ac intellectus influens: & si intellectus fuerit substantia, erit de eadem substantia; sed Verbum divinum procedit per intellectum, qui est eius *intelligere*, & ipsa substantia Dei: ergo procedit à principio coniuncto. Et propterea Filius fatetur de seipso Ioann. 10. *Ego & pater unum sumus*.

Denique est in similitudinem nature nota solum specificæ, sed etiam numericæ: siquidem ad Colof. 1. Filius dicitur *imago Dei*; sed imago, maxime perfectissima, qualis intra Deum valet reperiri, continet eandem naturam numero, ac ille, cuius est imago: ergo procedit in similitudinem nature. Adde, quod imago intellectualis ex vi suæ processionis habet eandem numero naturam, ac intellectus; sed Verbum di-

divinum est imago intellectualis, imò *intelligere*, per quod procedit, est ipsa natura divina: ergo procedit ex vi suæ processionis in similitudinem nature.

69 Tandem probatur conclusio alla ratione D. Thomæ in præf. art. 2. Nam processio Verbi creati est generatio vitalis, est imperfecta: ergo processio Verbi divini est generatio vitalis & perfectissima. Antecedens est certum: nam verbum creatum est terminus vitalis procedens à principio coniuncto; & procedit simile suo principio in eadem numero natura, quamvis sub modo essendi diminuto, scilicet sub *esse* intelligibili: ergo eius processio est generatio vitalis, est imperfecta. Consequentia verò probatur: Nam processio Verbi divini debet intelligi adinstar processionis Verbi creati, seclusis omnibus imperfectionibus: ergo si processio Verbi creati est generatio vitalis, est imperfecta & secundum quid, processio Verbi divini debet etiam esse generatio vitalis, & perfectissima, & in eadem numero natura sub modo essendi perfectæ & naturalis.

70 Arguitur primum: Generatio viventium non est perfectio simpliciter simplex: ergo non est in Deo. Antecedens probatur primum: Nam perfectio simpliciter simplex est illa, *quæ in quocumque est melior ipsa, quam non ipsa, & quodlibet incompossibile cum ipsa*; sed generatio viventium non est huiusmodi, alias melius esset Spiritui sancto procedere per eam, quam per spirationem: ergo non est perfectio simpliciter simplex. Secundo: Generatio viventium habet essentialiter connexas aliquas imperfectiones: siquidem ordinatur essentialiter ad filium tanquam ad finem & specificativum realiter distinctum: & ratione illius particule à principio coniunctio genitum producit medio semine, seu aliqua parte generantis, quæ illi communicatur, & non est coniunctum generanti nisi in principio generationis: ergo non est perfectio simpliciter simplex.

Respondetur, negando antecedens. Et ad eius primam probationem dicendum est, quòd duo reperuntur in generatione divina, videlicet rectum, & connotatum: cum hoc tamen differunt, quòd tota perfectio illius consistit in recto illius, supra quod connotatum nullam perfectionem addit. Ut ergo sit perfectio simpliciter simplex, sufficit, quòd sit in tribus personis quoad rectum, seu quoad omnem eius perfectionem, quamvis non reperitur sub expressione generationis nisi in vna tantum persona, videlicet in Patre, quia solum in ea est connotatum ad illam requisitum. Ad secundam: Dicendum est, omnes eas imperfectiones ibi enumeratas non convenire generationi viventium ex fuo conceptu formali, sed esse proprias generationis creatæ in esse naturali.

71 Arguitur secundum: Processio Verbi di-

vini non est vniocæ; sed generatio viventium, nisi sit monstruosa, est vniocæ: ergo non est generatio viventium. Maior probatur: Nam in processione vniocæ terminus, & principium debent esse eiusdem speciei; sed in processione Verbi divini terminus, & principium, videlicet Pater, & Filius, sunt diversæ speciei, aut quasi speciei ratione proprietatum personalium: ergo non est vniocæ.

Sed hoc argumentum est nullius momenti: siquidem ad processionem vniocæ sufficit, quòd principium, & terminus sint eiusdem nature sive specificæ, sive numericæ, quamvis differant specie in proprietatibus personalibus, ut liquet in generatione Christi Domini à B. Virgine. Ratio est: quia terminus formalis & specificativus generationis non est suppositum, sed natura: Unde ad hoc, ut generatio sit vniocæ, sufficit, quòd inter principium, & terminum intercedat convenientia vniocæ in natura.

§. III.

Assertio secunda.

72 **D**icendum est secundum, ex eo quòd Verbo divino communicatur formalissimè *intelligere* actuæ primordiale, re- cte deduci, processionem eius esse generatio- nem perfectissimam tam in esse intelligibili, quam in esse naturali. Hanc assertionem statui- mus ad aperiendam efficacitatem rationis Div. Thomæ, quæ vitur in præf. & præfatum 4. Contra gent. cap. 11. & procedit determinatè contra eos Autores, qui à constitutivo nature divinæ excludunt *intelligere* primordiale.

Ratio D. Thomæ in præf. est huiusmodi: *Processio Verbi in divinis habet rationem generationis: procedit enim per modum intelligibili actionis, quæ est operatio vite, & à principio coniuncto, & secundum rationem similitudinis. Quia conceptio intellectus est similitudo rei intellecta, & in eadem natura existens: quia in Deo idem est intelligere & esse. Quam rationem, ut inquamque eius verba loco relato Contra gent. expendit in hunc modum: Cum autem intellectus divinus non solum sit semper in actu, sed etiam sit ipse actus purus, oportet, quòd substantia intellectus divini sit ipsum suum intelligere, quòd est actus intellectus. Esse autem Verbi interioris concepti, seu intentionis intellecta est ipsum suum intelligi. Idem ergo est esse Verbi divini & intellectus divini, & per consequens ipsius Dei, qui est suus intellectus. Esse autem Dei est eius essentia. Verbum igitur Dei est ipsum esse divinum & essentia eius. Ex quibus concludit, Verbum divinum procedere in similitudinem nature perfectissimæ, hoc est, in esse naturali, & processionem eius esse perfectissimam generationem.*

73. Ut autem hæc ratio (quæ efficax est, & apparet valde obscura, & non ab omnibus eodem modo explicata) percipiatur: Observa primò ex dictis tract. I. disp. 2. dub. 2. & 3. naturam Dei pertinere ad ordinem intellectualem: quia, cum debeat collocari in aliquo gradu vitæ, imò in perfectiori, & huiusmodi gradus sit vitæ intellectualis, ad gradum vitæ intellectualis debet dirigere spectare natura Dei.

Ex quo fit (& observa secundò) quòd linea natura in Deo debet pertinere usque ad conceptum intellectus, speciei, intellectus, & verbi, omniaque hæc claudere in se formaliter: quia cum omnes linee divinx debeant esse perfectissimæ, oportet, ut includant in se omne ad se pertinens à prima usque ad ultimam actualitatem. Cum igitur natura radicalis, intellectus, speciei, intellectus, & verbum ad lineam intellectualem pertineant, ob quam rationem natura divina constituitur per intelligere actuale, quod est vitæ actualitas prædictæ lineæ, omnia illa complectitur absque distinctione virtuali.

Observa tertio, quòd hoc ipso quòd in Deo communicatur ad intra ex vi processionis & formalitatis formalitas aliqua pertinens ad unam lineam, debent ex vi eiusdem communicari formalitè omnia munia omnesque formalitates, quas talis linea complectitur. Et ratio est manifesta: quia cum in quolibet termino intra Deum reperto detur capacitas infinita, si femel potest ex vi actionis accipere munus alienius lineæ, non est cur non accipiat omnes formalitates talis lineæ. Unde si Verbo divino ex vi processionis communicatur aliquid nature, proculdubio debent ei communicari omnia, quæ spectant ad lineam nature. Ex quo obicit apparet disparitas, quare ad extra quandoque communicatur aliquid Dei secundum unam formalitatem, alia eiusdem lineæ non communicata, ut quando intellectui beati communicatur sub munere speciei, & non sub munere intellectus: quia nimirum intellectus creatus est potentia finita, ideoque ex eius capacitate ad unam formalitatem non recte arguitur capacitas ad aliam; quod contra accidit in divinis ob oppositam rationem.

74. Hinc ratio D. Thomæ reducitur ad formam syllogisticam in hunc modum: Nam eo ipso quòd Verbo divino communicatur ex vi suæ processionis natura divina tam sub esse intelligibili, quam sub esse naturali, processio eius est in similitudinem nature in vitroque ordine, ac proinde est perfectissima generatio in vitroque ordine, sed eo ipso quòd Verbo divino communicatur ex vi processionis intelligere primordiale, communicatur ei formalitè natura divina tam sub esse intelligibili, quam sub esse naturali, & ei defectò communicatur formalitè & ex vi processionis intelligere pri-

mordiale: ergo eo ipso quòd communicetur Verbo divino intelligere primordiale ex vi processionis, rectè deducitur, processionem eius esse perfectissimam generationem tam sub esse intelligibili, quam sub esse naturali. Maior est certa iuxta dicta in assertione præced. Minor quoad primam partem constat ex primo, & secundo notabili.

Quoad secundam verò partem probatur Nam Verbo divino communicatur formalitè ex vi processionis intelligi divinum, ut in prædicta ratione supponit D. Thomas, & cum eo Authores contrarij: ergo etiam communicatur ei formalitè intelligere primordiale. Consequenter probatur: Tum, quia intelligi divinum est conceptus pertinens ad lineam nature; sed non stat, unum conceptum de linea nature communicari ei formalitè ex vi processionis, & non communicari alios conceptus eiusdem lineæ, ut constat ex tertio notabili: ergo cum intelligere actuale sit conceptus potissimus de linea nature, debet ei formalitè communicari, eo ipso quòd communicatur ei intelligi. Tura etiam: nam idem est esse Verbi divini, ac intellectus divini: ergo idem formalitè est intelligere, quod est esse intellectus divini, ac intelligi, quod est esse Verbi divini: ergo, communicato formalitè & ex vi processionis esse, seu intelligi Verbi divini ipsi Verbo, debet etiam ei communicari esse intellectus divini, seu intelligere. Tum denique: nam supposita sententia, asserente naturam divinam constitui metaphysicè per intelligere actuale primordiale (ut in præfati illam supponimus) intelligi Verbi divini nihil aliud dicitur quam ipsam intelligere: si quidem est conceptio rei intellectæ: sicut verbum creatum per se primò representans aliam quam intellectiōnem nihil aliud est quam ipsum intelligere, licet sub esse tantum intelligibilis ergo idem est communicari Verbo divino intelligi, ac intelligere. Quæ ratio, supposita fide, est adeò efficax, ut non relinquat locum evasioni alicuius momenti. Solum restat aliquas objectiones, quæ contra conclusionem possunt offerri, enodare.

75. Obijcies ergo primò: Nam intelligi divinum non communicatur formalitè Verbo divino: ergo nec intelligere. Antecedens probatur: Intelligi tantum est denominatio extrinseca, sicut videri; sed denominatio extrinseca non est aliquid communicatum intrinsece ex vi processionis: ergo.

Ad hoc facile responderetur, quòd dato, & non concessio, quòd intelligi est tantum denominatione extrinseca proveniens ab intellectuone, unum pro comperto habendum est, quòd Verbo divino communicatur formalitè aliquid, videlicet vel natura divina, vel intelligere: ergo non est denominatio extrinseca. Si natura divina: ergo etiam intelligere, cum in ea

con-

constat metaphysicè natura divina. Diximus dato, & non concessio: quia in verbo tam creato, quam divino, præter intelligi, quod consistit in denominatione extrinseca, datur aliud intrinsecum, quod stat pro natura obiecti sub modo quodam intelligibili terminante intellectiōnem, sicut in specie datur quoddam intelligibile intrinsecum: & de hoc hucusque locuti sumus.

76. Arguitur secundò: De essentia Verbi divini tantum est intelligi personale, non essentialè; sed ex eo quòd intelligi personale communicatur Verbo divino, non inferitur, quòd communicetur ei intelligere, cum hoc sit alterius lineæ: ergo ex eo, quòd communicatur ei intelligi, non inferitur communicari ei formalitè intelligere. ¶ Confirmatur: Nam intelligi, quod est de essentia Verbi divini, est obiectum secundarium intellectus divini; sed intelligere, cum sit essentia Dei, est obiectum primum: ergo ex eo, quòd ex vi processionis habeat intelligi, non sequitur habere etiam intelligere.

Ad argumentum responderetur, de essentia Verbi divini non esse tantum intelligi personale, sed etiam essentialè; aliter tamen & aliter: nam personale tantum constituit illud in ratione persone, præter quod requiritur natura divina constituens illud in sua essentia, & ipsa natura, quæ constituitur per intelligere actuale, est ipsum intelligi essentialè. Sicut ex genere in qualibet persona essentialitè requiritur personalitas, & aliqua natura. Per quod constat ad confirmationem: nam intelligi quod est essentialè, & communicatur formalitè Verbo divino, est obiectum primum intellectus divini, quamvis intelligi notionale, seu personale, quod producit per processionem, sit obiectum secundarium.

Arguitur tertio: De essentia verbi creati non est intelligere, sed intelligi: ergo nec de essentia Verbi divini est intelligere, sed intelligi; sed quia de essentia verbi creati est intelligi, & non intelligere, non communicatur ei formalitè intelligere, sed tantum intelligi: ergo idem dicendum est de processionis Verbi divini.

Responderetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam, ob notam disparitatem inter intelligi Verbi divini, & intelligi verbi creati. Nam intelligi ex genere est obiectum per se primò representatum, & cum obiectum primum intellectiōnis divina sit essentia divina, quæ formalitè est ipsum intelligere, inde est, quòd intelligi Verbi divini est intelligere. Sicut si verbum creatum representaret per se primò intelligere creatum, ut potest contingere, etiam esset ipsum intelligere. At dum representat aliud obiectum, ipsum obiectum distinguitur ab intellectuone, per quam cognoscitur, ideoque non est mirum, quòd in

creatis intelligere non sit de essentia verbi. Adde: quòd quamvis intelligere non sit de essentia verbi, est tamen existentia illius in esse intelligibili, estque visio formalis intellectus cum verbo tanquam quid pertinens ad eandem lineam, & propterea petit communicari ex vi processionis.

78. Arguitur quartò: Nam ex nostro modo dicendi sequitur saltem, generationem Verbi divini non esse perfectissimam. Tum, quia ex ea non sequitur, quòd Verbo divino communicetur ex vi processionis intelligere primordiale, in quo natura divina consistit, in esse naturali, sed tantum in esse intelligibili: ergo tantum erit perfectissima in esse intelligibili. Tum etiam: nam verbum ex genere non procedit ut simile suo principio vel intelligenti, sed ut simile speciei: ergo Verbum divinum tantum procedit perfectissime in esse intelligibili, non in esse naturali. Tum deinde: verbo divino eo modo communicatur natura divina, quæ est obiectum intellectus divini; sed non est obiectum intellectus, ut intelligens est, sed ut intelligibilis: ergo tantum communicatur ei in esse intelligibili. Tum denique: ad perfectissimam generationem requiritur, quòd communicetur natura divina sub conceptu perfectissimo; sed Verbo divino non ita communicatur: etenim communicatur ei sub conceptu intelligi, qui non est perfectissimus: ergo.

Et confirmatur: Munus intelligere non est perfectissimum in natura divina: ergo est Verbo divino communicatur formalitè intelligere, non sequitur, quòd eius processio sit generatio perfectissima. Antecedens probatur: Nam conceptus radicis est perfectior conceptu intellectiōnis; & propterea gratia sanctificans participans hunc conceptum est perfectior visione beata, quæ participat conceptum intellectiōnis.

79. Ad argumentum responderetur, negando sequelam. Et ad primam eius probationem dicendum est, quòd cum intelligi, Verbo divino communicatum, sit propter sui eminentiam ipsum intelligere tam in esse intelligibili, quam in esse entitativo absque distinctione virtuali, non stat, quòd huiusmodi intelligi communicetur formalitè in vitroque ordine, quia ei etiam communicatur formalitè intelligere sub vitroque ordine, & consequenter natura divina. Unde ex vi huius potius colligitur, processionem eius esse vndequeque perfectissimam. Ad secundam: Dicit, quòd Verbo ex genere convenit quidem evadere ex vi suæ processionis simile speciei. Si verò contingat, quòd speciei sit formalitè absque distinctione virtuali tam in esse intelligibili, quam in esse entitativo ipsa intellectio, & quia pertinent ad eandem lineam, & quia est expressio potissimum representata, ut in præfati contingit, tunc debet ex

vi

vi sua processionis evadere simile intellectioni. *Ad secundam*: Dicimus, quod ad perfectissimam generationem tam in *esse* intelligibili, quam in *esse* naturali, sufficit, quod natura generantis in utroque ordine sit terminus quo processionis, ut in presenti contingit, quamvis non nisi ut exprimit nexum cum eadem natura, prout est intelligibilis per modum actus purissimi. *Adde*: quod obiectum actu intellectum tria importat, videlicet ipsam naturam obiecti, & modos veritatis, & intelligibilitatis: inter quae hoc est discrimen, quod natura obiecti est, quae praecipue intenditur in verbo; veritas autem, & intelligibilitas sunt modi per se requisiti, ut obiectum sit terminus intellectiōnis. Iuxta quod dicendum est, quod munus praecipuum repertum in Verbo divino est *intelligere in esse* naturali, quia est obiectum per se primo representatum, quamvis per se afferat modum veritatis, & intelligibilitatis. Videatur D. Thomas in hac 1. part. quaest. 6. art. 3. ad 3. Caeter. ibidem, & N. Salm. in praef. ad num. 22. *Ad ultimam*: Dicendum est, quod eo ipso, quod Verbo divino communicatur formalissime *intelligi*, debet etiam communicari formalissime *intelligere*, quia sunt munera eiusdem lineae; ideoque ex hac parte non tollitur, quod processio eius sit generatio perfectissima. *Quibus adde*: quod praecipuum munus communicatum Verbo divino est expressio *intellectionis*, quia est natura divina; quamvis praedicta expressio, ut est in Verbo divino, significetur modo passivo, & in Patre (seu ut explicatur consistit naturam divinam) modo activo.

80 Ad confirmationem responderetur, quod munus *intellectionis* in Deo dupliciter potest comparari ad conceptum *naturae*, seu *radicis*; vel quatenus dicit conceptum *actionis* praesens; & quasi excludendo conceptum *naturae*; & hoc modo maiorem perfectionem explicat conceptus *radicis*, quam conceptus *intellectionis*, & hi conceptus hoc modo sumpti participantur à gratia, & visione beata. Vel potest sumi, quatenus praesupponit, & includens munus *radicis*, aliquid aliud addit eiusdem lineae per modum ultimae actualitatis; & in hoc sensu maiorem perfectionem explicat, quam munus *radicis*. Utroque autem modo communicatur verbo divino, & ideo communicatur ei natura divina sub munere, & modo perfectissimo.

§. IV.

Affertio tertia.

81 **D**icendum est *tertio*, supposito quod natura divina non constituitur per *intelligere* actuale, in processione Verbi divini non salvari rationem perfectissimae generationis. Hae conclusio proximis accedit ad explicandam mentem D. Thome, & directe

adversatur Authoribus supposito nomine relatis num. 72. Eamque praeter morem aliorum proponimus ad vrgendam quandam rationem pro constitutivo naturae divinae per *intelligere* actuale, quam remissimus ad hunc locum.

Huiusmodi autem ratio potest redigi ad hanc formam: Si intellectus, & *intelligere* non essent de conceptu metaphisico naturae divinae non communicaretur Verbo divino natura divina ex vi processionis & formalissime sub omni modo perfectissimo excogitabili: ergo in eius processione non salvaretur ratio perfectissimae generationis. Antecedens probatur: Nam quamvis natura divina ex vi processionis communicaretur illi perfectissimo modo sub *esse* intelligibili, secus verò sub *esse* naturali, nisi tantum identice: ergo non communicaretur formaliter, & ex vi processionis sub omni modo perfectissimo excogitabili. Patet consequentia: Nam similitudo in natura sub *esse* intelligibili, non pertingens ad hoc ut sit etiam sub modo naturali, tantum est similitudo in linea secundum quid. Antecedens probatur: Tum, quia quando species est distincta realiter ab intellectu & *intelligere*, est distincta realiter ab intellectu, nequit communicare verbo ab eis producto naturam ipsius speciei in *esse* entitativo adhaec identice: ergo quando est distincta virtualiter, quamvis identice communicet verbo producto naturam speciei, secus verò formaliter & ex vi processionis. Patet consequentia: id enim, quod praestat distinctio realis inter speciem & intellectum, praestat, servata proportione, distinctio virtualis. Tum etiam: Nam species distincta virtualiter ab intellectu tantum petit vni cum eo formaliter in *esse* representativo, & identice in *esse* naturali, sicut species, quae est substantia, & distinguitur realiter ab intellectu, solum vnitur cum illo in *esse* intelligibili, & non in *esse* entitativo adhaec identice; sed species, quae tantum in *esse* intelligibili vnitur formaliter cum intellectu, & identice in *esse* entitativo, tantum potest communicare termino producto suae naturam in *esse* intelligibili formaliter, & in *esse* entitativo identice, alias non esset processio viva, & terminus esset perfectior in *esse* termino, quam principium: ergo.

Confirmatur: Nam quia actus, per quem Spiritus sanctus procedit, non est formalissime essentia divina, non communicat illi nisi tantum identice eandem naturam divinam: ergo licet qua parte essentia divina per se ipsam gerit munus speciei intelligibilis debeat eam communicare termino producto sub *esse* intelligibili; qua parte tamen intellectus est tantum identice ipsa natura divina in *esse* naturali, non potest eam communicare formalissime in *esse* naturali. Consequentia recte intellecta à paritate factis constat.

82 *Secundo* probatur conclusio ratione, per

Dub. IV. Utrum processionis Verbi divini conveniat vera ratio *Sci*.

per quam procedens magis roboratur: Nam si *intelligere* primordiale non esset constitutum naturae divinae, Verbum tantum procederet ex vi processionis ut consubstantialiale cum Patre in *esse* intelligibili, & identice in *esse* naturali: ergo eius processio esset perfectissima in *esse* intelligibili, secus verò in *esse* naturali. Antecedens probatur: In illa suppositione intellectus, & intellectio non essent substantiales formalissime & ex vi suae lineae, substantialitate sumpta saltem de linea naturae: ergo Verbum non procederet ex vi processionis ut consubstantialiale cum Patre in *esse* naturali, sed tantum in *esse* intelligibili. Patet consequentia: nam terminus proximus processionis debet esse omnino similis suo principio proximo: & propterea quia substantia in creatis nequit esse immediatè operativa, neque terminus proximus potest esse substantia: & quia ipsa natura Dei non est principium proximum processionis Spiritus sancti, terminus formalis & proximus nequit esse substantialis per modum naturae: & tandem quia species creata est accidens in *esse* entitativo, quamvis sit substantia in *esse* representativo, verbum productum nequit esse substantia in *esse* entitativo, sed ad summum in *esse* intelligibili. Quod adeo certum est, quod est obiectum substantiale vnitur per se ipsum in ratione speciei intelligibilis, ut contingit in substantia Angeli cum proprio intellectu & essentia divina cum intellectu beati, verbum productum per eam, & si verbum produceretur per istam (ut multi probabiliter volunt) essent accidens in *esse* entitativo, quia intellectus, & intellectio sunt accens.

83 Praecipua argumenta, quae possunt formati contra praefatam conclusionem, sunt ea, quibus Adversarij conantur suadere naturam divinam non constitui metaphisicè per *intelligere* actuale. Hae tamen iam enodatae manent tract. 1. disp. 2. dub. 2. & 3. Vnde, his omisissis, proponemus ea, quae militent contra praesentem assertionem.

Arguitur ergo *primo*: Nam processio Verbi divini est tantum est generatio, quia procedit per intellectum; sed est generatio perfectissima: ergo est intellectus divinus sit extra constitutum naturae divinae, processio Verbi est generatio perfectissima. Maior probatur ex D. Thoma: Nam imprimis in hoc art. 2. probatur, processionem Verbi esse generationem, quia procedit ut similitudo rei intellectae, hoc est, quia intellectus est assimilativus. Rursus in art. 4. eiusdem quaest. ut probatur, processionem Spiritus sancti non esse generationem, solum recurrit ad hoc, quod procedit per voluntatem, quae non est assimilativa in natura: ergo processio Verbi est generatio, praecise quia procedit per intellectum.

Respondetur, quod ut D. Thomas probat, processionem Verbi divini esse generationem, *Pap. Theol. Salm. Tom. II.*

nam, utique perfectissimam, & in *esse* naturali, non solum procedit ad hoc, quod procedit per intellectum, sed etiam ad hoc quod *intelligere*, & *esse* sunt in Deo idem formalissime, ut supra vidimus. Unde quamvis ad rationem generationis utriusque sufficit, quod verbum procedat per intellectum, ad rationem verò generationis perfectissimae tam in *esse* intelligibili, quam in *esse* naturali omnino requiritur, quod *intelligere* & *esse* sint omnino idem. Ut autem processionem Spiritus sancti denegaret, esse absolute generationem, sufficit dicere, quod non procedit per intellectum, sed per voluntatem: quia haec sub nullo *esse* est formaliter assimilativa termini in natura.

84 Arguitur *secundo*: Non obstanti quod potentia generativa in creatis est distincta realiter à substantia, terminus eius procedit in similitudinem naturae in *esse* naturali: ergo pariter, est intellectus divinus sit distinctus virtualiter à natura Dei, potiori titulo verbum productum per illum procedit in similitudinem naturae in *esse* naturali. Patet consequentia tum à paritate, tum & quia essentia divina, ut gerit munus speciei, est principium proximum productionis Verbi divini; & substantia creata nullo modo est principium proximum generationis creatae.

Et confirmatur *primo*: Nam ut Verbum divinum procedat in similitudinem naturae in *esse* naturali, sufficit, quod essentia divina fecundum *esse* naturale vnitur per modum speciei; sed quamvis *intelligere* non esset constitutum naturae divinae, haec secundum suum *esse* naturale vnitur intellectui divino per modum speciei, cum *esse* naturale & intelligibile non distinguantur virtualiter in natura divina: ergo procederet in similitudinem naturae in *esse* naturali, ac proinde eius processio esset perfectissima generatio.

Confirmatur *secundo*, & simul explicatur Nam ex conceptibus pertinentibus ad eandem lineam implicat, unum formalissime communicari, & non alium; sed *esse* entitativum, & intentionale in natura divina sunt duo conceptus pertinentes ad eandem lineam, eam per se ipsam exercet munus speciei: ergo implicat communicari formalissime Verbo sub *esse* intelligibili, & non sub *esse* naturali.

85 Respondetur ad argumentum, concedendo antecedens; sed negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia substantia, cum non possit esse immediatè operativa, seu terminus immediatè productus per actionem creatam propter perfectionem substantiae, & imperfectionem actionis, indiget aliquo accidenti per modum virtutis instrumentariae, & per modum termini immediati actionis generativae. Vnde oportet, ut instituat à natura quaedam potentia, quae producat terminum remotum in similitudinem naturae in *esse* naturali.

litudinem naturæ in esse naturali. Ceterum processio per intellectum non est ab eo per modum causæ instrumentalis, maxime in Deo: Unde necesse est, quod verbum sit omnino simile ex vi processionis intellectui informato per speciem, & quod perfectè præcontineatur in eo. Hoc autem non habet locum, dum intellectus non est ipsa natura Dei, & verbum ex vi processionis habet naturam Dei, vt ex se liquet.

86 Ad primam confirmationem respondetur (per quod præcedens solutio magis roboratur) quod dato, & non concesso, quod esse naturale, & intelligibile essent idem formalissimè in natura divina, vniuer per modum speciei in esse intelligibili cum proprio intellectu, & non in esse naturali; sicut in omnium sententia non vniuer scientia nisi in esse intelligibili, quamvis vniuer illi identicè etiam in esse naturali. Et ratio huius est: quia supposito quod intellectus non sit de constituto naturæ divinæ, solum est in eo capacitas, vt illi vniuer per modum formæ intelligibilis, & non per modum formæ naturalis, vt ad extra contingit. Et cum dicitur, quod ex conceptibus pertinentibus ad eandem lineam, vno formaliter communicato, debent ceteri formaliter communicari, hoc debet intelligi, dum in intellectu est capacitas ad omnes, quæ in hac suppositione esset, & non esset: esset, quia est ad intra; & non esset, quia intellectus est alterius lineæ. Per quod constat ad secundam confirmationem. Diximus dato, & non concesso: Quia reuè in prædicta suppositione esse intelligibile, & naturale distinguerentur virtualiter: nam sicut conceptus *essentie* & *nature* in creatis distinguuntur virtualiter, eò quod primus respicit per se primò esse, & secundus connotat per se operationem, ita natura divina, vt pertinet ad ordinem entitativum, respiceret per se primò esse naturale, & sub munere speciei intellectionem.

87 Arguitur *ultimò*: Facta prædicta suppositione, Verbum diuinum procederet ex pura fecunditate: ergo procederet in similitudinem naturæ in esse naturali. Probatum conuenientia: Nam inter verbum productum ex indigentia, & ex fecunditate hoc est discrimen; quod primum tantum potest habere naturam obiecti in esse intelligibili, & secundum etiam in esse naturali propter rationem traditam num. 16.

Respondetur, quod sufficiens discrimen daretur inter verbum creatum, & Verbum diuinum, adhuc facta prædicta suppositione: Si quidem verbum creatum non haberet naturam obiecti adhuc identicè in esse naturali, & Verbum diuinum haberet illam identicè in esse naturali.

*** **

Assertio quarta.

88 Dicendum est *quartò*, rationem formalissimam Verbi: esse in Deo rationem formalissimam Filij, necnon rationem formalissimam Imaginis. Hæc conclusio legitime inferitur ex præcedentibus. Eamque quoad vtranque partem expressè tradit cum suo Magistro D. August. D. Thomas in 4. quæst. 34. art. 2. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quod in nomine Verbi eadem proprietates importatur, quæ in nomine Filij. Unde dicit August. Et dicitur Verbum, quod Filius. Ipsa enim natiuitas Filij, quæ est proprietatis personalis eius, diuersis nominibus significatur, quæ Filio attribuntur ad exprimendum diuersasmodè perfectionem eius. Nam et ostendatur conaturalis Patri; dicitur Filius: et ostendatur coæternus; dicitur splendor: et ostendatur omnino similis; dicitur Imago: et ostendatur immaterialiter genitus; dicitur Verbum. Non autem potuit vnum nomen inueniri, per quod omnia ista designarentur.* Et quoad secundam deducitur ex his, quæ infra docet quæst. 35.

Ex quibus verbis hæc brevis, sed satis exacta conficitur ratio: Nam de ratione Filij, Verbi, & Imaginis est, quod procedant per generationem: ergo sunt formalissimè idem. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Nam, si procedant per generationem, terminant eam ratione eiusdem termini formalis, qui est natura: ergo sunt formalissimè idem. ¶ Et confirmatur: Si ratio formalissima Filij esset diuersa à ratione formalissima Verbi, & Imaginis, in Deo essent plures relationes quam quatuor, & essent plures processionés quam duæ, & plures notiones quam quinque: siquidem processio Verbi esset diuersa formaliter à processione Filij, & processio Imaginis à processione Verbi & Filij: item præter quatuor relationes infra disput. sequenti assignandas, ex parte Verbi alia esset relatio Verbi à relatione Filij, & relatio Imaginis ab vtraque; & ex parte Patris alia esset relatio dicentis à relatione Patris, tandem præter notiones ibidem assignandas daretur relatio dicentis, qua notificaretur Pater, & relatio Verbi diuersa à relatione Filij, qua notificaretur ipse Filius: idemque applicari debet rationi Imaginis.

89 Sed aduersus primam partem conclusionis: Obijcies *primò* cum Div. Thoma quæst. 4. de Verit. art. 5. vbi ait: *Hoc nomen (verbum) imponitur ad significandum aliquid absolutum cum aliquo respectu adiuncto*: ergo dicit in recto absolutum, & de connotato relationem; sed Filius e contra se habet: ergo non sunt formalissimè idem. ¶ Et confirmatur *primò*: Nam ratio

for

formalissima verbi est eadem cum ratione formalissima speciei, maxime in diuinis, & solum differunt: quoad diuersum modum essendi; sed ratio formalissima speciei dicit in recto aliquid absolutum: ergo ratio formalissima verbi non est ratio formalissima Filij. ¶ Confirmatur *secundò*: Ratio formalissima verbi in creatis dicit in recto aliquid absolutum, & ad summum importat respectum aliquem transcendentalem, non prædicamentalem: ergo idem dicendum est de Verbo in diuinis.

Ad obiectionem respondetur, D. Thomam in hac 1. part. moralis sententiam, quam in alijs locis docuerat. Sic Caietanus cum alijs. *Vel dicitur quod Angel. Doctor loquitur ibi de verbo creato. Vel si loquitur de Verbo diuino, non de verbo proprio & notionali, sed de verbo communiter dicto & essentiali.* ¶ Ad primam confirmationem respondetur, quod si nomine verbi intelligatur id, quod est proprium verbi producti & conditincti à specie intelligibili; sic falsum est tam in creatis, quam in diuinis, quod ratio formalissima verbi & speciei intelligibilis est eadem: quia dicitur in recto modum diuersum habendi eandem numero naturam. Si verò nomine verbi significetur obiectum intrinsecum intellectionis, & ab ea productum; sic verum est, quod est eadem ratio formalissima verbi, & speciei. ¶ Ad secundam confirmationem respondetur, concedendo antecedens; & negando vtranque consequentiam. Et ratio discriminis est: quia in verbo creato non repugnat relatio transcendentis, factis verò in diuinis. Unde verbum creatum constituitur per relationem transcendentalem ad dicentem, quamvis etiam importet secundariò relationem prædicamentalem: at Verbum diuinum constituitur per relationem quasi prædicamentalem.

90 Obijcies *secundò*: Verbum in Deo dicit respectum ad totam Trinitatem, & ad creaturas; sed Filius tantum dicit respectum ad Patrem: ergo ratio formalissima Filij, & Verbi non est eadem. ¶ Confirmatur: Aliàs forma baptismi posset proferri sub his vocibus, *In nomine Patris, & Verbi, & Spiritus sancti.*

Ad obiectionem respondetur, quod sicut Filius ratione relationis, quam importat in recto, solum respicit Patrem, ita Verbum ratione eandem relationis, quam etiam dicit in recto, tantum respicit Patrem. Et sicut Verbum ratione essentiali, quam dicit de connotato, respicit totam Trinitatem, & creaturas, ita Filius ratione eiusdem essentiali, quam etiam dicit de connotato, respicit creaturas, & Trinitatem. ¶ Ad confirmationem respondet Caiet. 3. part. quæst. 66. art. 5. ad 7. concedendo sequentiam: in quo nullum inuenit absurdum. Hæc tamen solutio non est probabilis speculative, & prædicè: quia, vt ibidem docet D. Thomas, Christus Dominus statuit formas Sacramentorum sub vocibus magis

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

gis vicitatis, quibus & nos debemus vt. *Maximè*: quia est nomen Filij, & Verbi idem significant ex parte rei conceptæ, differunt tamen ex modo concipiendi; & idè non sunt termini synonymi. Solum autem remanet eadem forma, quando fit variatio, vel in diuerso idiomate, vel per terminos synonymos.

91 Aduersus secundam partem conclusionis obijcies: Nam si ratio formalissima Imaginis esset eadem cum ratione formalissima Verbi, & Filij, prædicta ratio non competeret Spiritui sancto; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. Ad rationem imaginis sufficit similitudo in signo speciei communicata ex vi processionis, vt clare colligitur ex D. Thom. infra quæst. 35. art. 1. sed hoc conuenit Spiritui sancto, siquidem conuenit ei ex vi processionis amor diuini, qui perfectissimè repræsentat naturam diuinam, quam accidentia externa in nobis nostram naturam: ergo.

Vt huic obiectioni occurrat: Adverte *primò*, tres condiciones requiri ad rationem imaginis: prima est, quod sit similis ei, cuius est imago: secunda, quod hæc similitudo sit in natura, vel in signo nature, puta in figura: tertia, quod hæc similitudo proveniat ex vi originis, ob cuius defectum ovum non est imago alterius ovini, vt cum D. August. tradit D. Thomas loco proxime relato. Quod ad hoc verum est, vt in imagine artificiali saluetur vera ratio imaginis, licet multoties fit præter intentionem artificis: quia non est præter intentionem ideæ quæ activè concurret ad ideatum, & imaginem.

Adverte *secundò*, tres esse gradus imaginis. Primus enim est imperfectissimus, qui habet similitudinem in signo nature, non verò in ipsa natura, vt contingit in imagine picta. Secundus est, qui affert similitudinem in natura specificam, non verò in numerica, vt accidit in filio naturali creato. Vel estò habeat eandem numero naturam, est in linea diminuta & secundum quid scilicet in esse intelligibili, & cum diuerso modo habendi illam: & huiusmodi est verbum creatum. Tertius est perfectissimus, quia habet eandem numero naturam in esse naturali.

Adverte *tertiò*, quod intè Deum in illa persona, cui conuenit ratio imaginis, oportet, quod sit secundum gradum perfectissimum: quia quidquid conuenit alicui persone, debet ei conuenire secundum omnem perfectionem excogitabilem, & propriam illius. Et hæc ratio in Deo nequit saluari ratio imaginis secundum gradum medium, quia estò sit perfectior primo, est tamen admixtus aliqua limitatione, & imperfectione: potiori ergo titulo relegari debet ratio imaginis secundum primum gradum. Ex his iam satis constat ad obiectionem.

*** **